

**Weichbild magdeburgski w układzie śląsko-małopolskim.****Wersja krakowska**

Rękopis Biblioteki Narodowej, sygn. 12607 III, k. 43vb-44va

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 66 [Gn. 61]

[66] Mulier pro armis bellicis dare debet gladium mariti vel suum rucinu[m] vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuit pro corpore [k. 44ra] <Das Capitulum Beweyssset vas was gehoret czu der hergewette und czu der Leyppgeding a> unius viri, cum decessit in sua potencia, deinde dare debet pulvinar bellicale, hoc est lectum et duo cussina, et duo linthiamina, et unum mensale, et duas pelves, et unum manuterium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen diversa componunt, aliqui homines, que tamen ad ea non pertinent, sed quidquid ex eis nominatis mulier non habuerit, ad hoc non debet compelli, si iuramento probaverit pro qualibet re per se. Sed ubi patenter ostendi poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere possunt. Ubi duo vel tres ad una arma bellica nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera dividunt inter se equaliter, ita quod senior dividit et iunior eligit. Ubi etiam duo vel plures unam simul habuerint hereditatem, ibi unus alium ad divisionem valeat coartare. Et ubi pupilli annos pubertatis non attingerint, eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis est tutor puerorum quousque ad annos discrecionis pervenerint, extunc ipsis reddere tenetur et insuper omnia ipsorum bona, nisi eis rationem fecerit, quo ea ad eorum usum converterit, aut per spolium aut per apparens infortunium absque voluntate ami[k. 44rb]serit. Ipse etiam est vidue tutor, quousque maritum duxerit, qui paris condicionis fuerit. Post arma bellica mulier vite provisionem recipere potest et alia omnia, que ad suppelectilia pertinent, hoc sunt omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, aucas, strata, pulmenta [s], cussina, linthiamina mensalia, pelves, manuteria, lucibula, candelabra, semen lini et omnia muliebria vestimenta, annuli, et brachialia et crinicalia<sup>b</sup> [s], psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, que [s] ad Dei servicium pertinent, sedilia et scrinia, capecia, vela, dorsilia, tectoria, balniamina et omnia pepla, et alia ornamenta capitis muliebria, hoc est, quod ad suppelectilia femine pertinent. Et ad hoc diversa clenodia, que ad suppelectilia pertinent, singulariter non nomino, sicut sunt seticule, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, nec argentum, nec aurum non textum non pertinet ad mulieres. Sed quidquid extra in rebus inventum fuerit, pertinet ad heredes. Si aliquid ex hiis obligatum fuerit circa vitam viri, qui mortuus est, redimerit, si vult, ad quem de iure pertinet. Sacerdos dividet cum fratre, sed non, qui monachus sit. Si puer infra [k. 44va] annos pubertatis religionem intraverit, bene potest exire inter annos, si vult, et ius observet feodale et terrestre. Si autem vir, qui dum pubertatis annos adimplevit, intraverit religionem, hic se a iure terrestri ac feodali alienavit, et sua feoda vacant, quia scutum bellicum resignavit. Quod hoc possit protestari per hos, cum quibus similem vitam visus est suscepisse.

<sup>a</sup> ręką niemieckiego komentatora na górnym marginesie; <sup>b</sup> wyraz poprawiony, ponownie napisany na marginesie

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletność, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, kapłan, pełnoletność, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]